



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. c1515CCCXIII.



I. N. J. C. C.

COLLEGIUM
SYNOPTICI
LOGICA

DISP: VI.

siftens

PRÆDICABILE SYNONYMICUM

ATQVE

PARONYMICUM

Quam

PRÆSIDE

M. GEORGIO VVAGNERO,

Colleg. Phil: Adj:

RESPONDENS

DANIEL CHRISTOPH: ROEMERUS,

Wittebergâ Saxo Phil: atq; Theol: Studios:
amicæ philosophantium collationi

D. XXVII. Mart. Ann. Christi M.DC.LXXII.

In Auditorio Majori Horis consuetis

subjicit.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

DEO UNI TRINO
INFINITO DEORUM DEO ET GLORIOSO DO-
MINANTILIM DOMINO
ÆTERNO FONTE OMNIS BONI
DEO PATRI
OMNIPOTENTI OMNIUM RERUM CREA-
TORI

quòd me hominem piis atq; Christianis Parentibus nasci, natumq; ad
præsens usq; momentum vitæ sustentare voluerit cle-
mentissimè;

DEO FILIO
UNICO TOTIUS GENERIS HUMANI RE-
DEMPTORI

quòd me æternis suppliciis destinatum suo sanguine
Ipsè redemerit;

DEO SPIRITUI SANCTO
GRATIOSISSIMO HOMINUM SANCTIFI-
CATORI,

quòd me in peccatis natum regenerârit, renatumq;
in vera fide benignissimè conservaverit;

*in sempiternam Nominis Divini gloriam
has Primitias Academicas consecratas
ante Thronum: Divina Majestatis, humillimè omnium supplicii
corde & manu*

*innixus infinito patientis JESU Merito,
deponit*

Minimus, sed perpetuus Veri DEI servus

Daniel Christophorus Røemerus.

Incipe, effice, perfice, mi Jesu!

ARTIC: I.

DE PRÆDICABILI SYNONYMICO S.

ESSENTIALI

PUNCT. I. POSITIV.

LUstravimus in proxime antecedenti Disp. per Dei Gratiam in Præcepto I. Descriptionem Prædicabilis Synonymici. In Præcepto II. Ejusdem Divisionem, In Præcepto III. Synonymi Vulgaris Divisionem, Tandem in Præcepto IV. *Generis Descriptionem*. Succedit nunc, bono cum Deo: **PRÆC. V.**

Genus est *l. Summum l. Subalternum.*

exd.

§. 1. Genus summum est, supra quod non est aliud genus, v. g. substantia creata & accidens. Hæc enim semper sunt genera, & nunquam fiunt species.

§. 2. Genus subalternum est, quod aliud genus supra se habet. ut: Corpus mixtum. Planta &c. Hinc respectu inferiorum, quæ sub se continet, dicitur genus: respectu autem superiorum, dicitur species.

§. 3. Genus subalternum aliud est *l. medium s. interjectum*, quod supra se habet genus, & infra se agnoscit species (s. subalternas) quæ respectu inferiorum suorum possunt esse genem. v. c. corpus animatum est genus medium. Habet enim supra se, corpus mixtum: infra se autem animal. *l. ultimum*, quod supra se quidem habet genus, infra se autem duntaxat agnoscit speciem *infimam*. Quale Genus ultimum est animal respectu hominis.

PRÆC. VI.

Species est *Synonymum vulgare*, quod de pluribus differentiis numero, in quid prædicari potest.

exd.

§. 1. *Ad Subj.* Notio speciei hîc non significat [α]. *in sensu principali*, vel notionem *Gnostologicam*, prout dicitur *ideam aut speciem intelligibilem*, aut *sensilem*: vel *Qualitatem physicam*, in quantum signat pulchritudinem, quando dicitur homo pulcher est specie. *led (β) in sensu instrumentali*. Neq; tamen h. m. *Grammatici.*

cè, quomodo species dividitur in primitivam & derivativam: sed Logicè, pro prædicabili vulgari Synonymico, in quantum contradistinguitur Generi.

§. II. Ad Prædicat. 1. Conceptus latior patet 2. Conceptus strictior sistitur (a) per prædicari in quid. tò QUID h. l. insinuat, non partem quidditatis: sed totam quidditatē & essentiā: Species enim dicitur de individuis, non saltem per modum completi: sed etiam ut completum, totam rei essentiā explicitè (quamvis per terminū incomplexum, in quo differt à Definitione) declarando. Per hoc igitur requisitum, species non solum distinguitur à proprio & accidente, quæ non prædicantur in QUID: ita differentiā, quæ prædicatur in QVALE QUID: sed etiam à Genere, quod licet prædicetur in Quid, non tñ. ut completa essentiā, sed ut pars ipsius dicitur (b) per prædicari de differentiis numero. Differentia numero, hinc dicuntur, quæ differunt differentiā singulari s. numericā. Hoc autem requisitum non competit omni speciei, cum species subalterna, non solum dicatur de differentiis numero; verum etiam de differentiis specie: sed proprium est solummodò speciei infimæ: Et quidem sub duplici limitatione. (1) ut species dicatur de tantum differentiis numero, h. e. de ijs, quæ solo numero differunt, non etiam specificè: sic homo dicitur de Petro & Johanne, tanqv. numero tantum differentiis; & ita excluditur Genus, quando prædicatur de individuis diversarum specierum. v. c. animal de Paulo & Bucephalo. (2.) ut tantum prædicetur de differentiis numero, adeoq; non etiam de differentiis specie: & ita excluditur Genus, collatum ad individua ejusdem speciei. Licet enim tum Genus dicatur de ipsis tantum numero differentiis. v. g. animal de Petro & Paulo: non tamen tantum de ijs dicitur, quia etiam dicitur de homine & bruto, quæ sunt species differentes.

PRÆC: VII.

Species est 1. Subalterna 1. Specialissima.

in d.

§. 1. Species specialissima (infima) est, quæ nullas alias sub se continet species. v. c. Homo respectu suorum individuorum. Homo enim proximè adjacet individuis, & nullius respectu potest esse genus.

§. 2. Spe.

§. 2. Species subalterna est, quæ ita est species respectu superiorum, ut respectu inferiorum possit esse genus. v. c. ejusmodi species est animal respectu corporis vivi, cujus ita est species, ut sit genus respectu hominis & bestiae.

§. 3. Species subalterna est l. suprema, quæ tantum habet species infra se, supra se autem solum genus generalissimum, quod nullo modo potest esse species. Talis species est corpus respectu substantiæ it. habitus respectu Qualitatis. l. media s. interjecta, quæ non solum sub se alias continet species, de quibus per modum Generis predicari possit, sed etiam supra se conceptum genericum subalternum, qui respectu alicujus superioris, species esse possit, admittit. Sic talis species est animal, quod non solum continet species alias sub se, hominem sc. & bestiam, sed etiam supra se, corpus vivum, quod est species respectu corporis mixti, habet.

PRÆC. IIX.

Differentia est Synonymum vulgare, quod de pluribus speciebus numero differentibus in quale quid predicari potest.

ἐκδ.

§ I. Ad Subj. Terminus differentia h. l. non accipitur realiter, pro rei propriâ quidditate, per quam ipsa in esse proprio constituitur: sed notionaliter: neq; tamen ita (α) sensu Grammatico, prout notat discrimen quantitatis syllabæ, veluti dicitur Syllaba est indifferens: sed (β) sensu Logico. Logicè autem accepta differentia, dicit differentiam l. communem, quæ aliquid ab alio, aut à seipso, quomodo cumq; differt, s. accidentaliter s. essentialiter, s. per accidens s. separabile s. inseparabile. Sic corvus differt à cygno per nigredinem. Equus à cane per potentiam hinniendi. Johannes sedens, à stante. Petrus senex, à seipso Juvene. Doctus à teipio indocto. l. propriam, quæ unum differt ab alio per accidens inseparabile, quæ alecunq; illud sit, s. proprium s. commune. Sic æthiops & Germanus differunt ratione albedinis & nigredinis. Ignis differt potentia urendi ab aquâ l. propriissimam, quæ cum Genere conjuncta speciem constituit, de quâ predicatur in quale quid. Et aliàs dicitur differentia specifica s. essentialis. Hujus igitur translationis non est differentia Logica communis, cum ipsa sit accidentalis, & tantum faciat ἀλλοῖον i. aliud, juxta accidens
com.

commune. Neq; *differentia* Log: *propria*, cum ipsa itidem sit tantum *accidentalis* & faciat ἀλλοῖον s. aliud, juxta *accidens proprium*: sed hujus loci est *differentia* Logica *proprio* *sim*a, quæ *essentialis* est, & ἀλλο s. aliud, secundum *essentiam* constituit. (dicitur aliàs principium *distinctivum*)

§ 2. ad *Predicat*: (1) *Conceptus contrahibilis* patet. (2) *conceptus contrahens* absoluitur (α) *predicabilitate* de pluribus *differentibus specie* l. *numero*. Quorum illud convenit *differentiis genericis*: hoc *specificis*. Et per hoc distinguitur *differentia* ex parte a *specie*, quæ tantum *prædicatur* de *differentibus numero*. Additur autem hîc, *differentiam prædicari* de *differentibus numero*, ne *differentias specificas*, utp. *essentiales*, è numero *differentiarum* excludamus. Unde patet quod *differentia* non sit *universalis* in ordine ad *speciem*, quam constituit, sed ad *inferiorem* ejus. *Universale* enim est *universale*, respectu plurium, de quibus dicitur: sed quando *differentia* comparatur ad *speciem*, quam constituit, non dicitur de eâ, ut de *pluribus*, nec, ut de *minus communi*, sed ut de *æquali*, cum quo recipiatur. Hinc non dicitur de *specie* ut aliquod *universale* in *predicando formaliter*, sed saltem *materialiter*. *Formaliter* verò tale est, in ordine ad ea, quæ sub *specie*, quam constituit, continentur. (β) *Predicabilitate* in *QVALE QUID*. *Qualitas* ut sic est *modus* & *determinatio indeterminati*. *Restrictè* verò *Qualitas* est vel *substantialis*, tum *physica*, quomodo *forma* *qualificat* *materiam*, tum *Metaphysica*; velut *ratio propria* & *differentia* *qualificat*, h. est, *determinat* & *restringit*, aut *conceptum latiore*, aut *Genus*. l. *accidentalis*, prout *habitus*, *albedo*, *qualificat* *hominem*. Cæterum *prædicari* IN *QVALE* est *prædicari* per *modum alicujus determinantis*, *limitantis* & *forma alicujus adjacentis*, adeoq; *prædicari termino connotativo*. Sicut *prædicari* IN *QVID* erat *prædicari termino absoluto*, & *admodum per se stantis*. Deniq; *prædicari* in *QVALE QUID* s. IN *QVALE ESSENTIALE*, est *proprium differentia*. *Differentia* enim dicitur IN *QVALE*, quia *prædicatur termino connotativo*, non *absoluto*: ut *animal* est *sensitivum*: *homo* est *rationalis*. Et per hoc *DICI* IN *QVALE*, *differentia* distinguitur a *specie* atq; *Genere*, quæ non exprimuntur *terminis connotativis*, sed *absolutis*. Tandem

dem quia differentia, quæ per modum adjacentis prædicatur, est
de essentiâ ejus, de quo dicitur, hinc non absolute prædicatur in
QVALE, sed cum adjecto in QVALE ESSENTIALE SIN QVA-
LE QUID. In QUID ratione rei, quæ est pars quidditatis: In QVA-
LE ratione modi, quòd illa pars, non per modum absoluti, sed conno-
tativi exprimat. Et per hoc differentia discernitur à Proprio &
accidente, quæ prædicantur simpliciter in Qvale (absolute) sin Qva-
le accidentale.

PRÆC. IX.

Differentia alia est Constitutiva: alia Divisiva.

ẽnd.

§.1. Constitutiva differentia est, quæ speciem constituit. v.c. ra-
tionale, quatenus hominem constituit, dicitur differentia consti-
tutiva. Estq; l. Generica, quæ constituit speciem subalternam. v.c. rò
materiale, animatum, sensitivum, sunt tales differentia constitur-
entes, corpus, corpus animatum, animal, ceu species subalternas.
l. Specifica, quæ proximè & immediatè constituit speciem ultimam. Cu-
jusmodi differentia est irrationale, constituens bestiam.

§.2. Divisiva Differentia est, quæ dividit Genus. Tales differen-
tiæ sunt materiale & immateriale in quantum dividunt substan-
tiam: Rationale & irrationale, quatenus dividunt animal.

PUNCT: II. DIRECTIVUM

CANON:

I. Omnis terminus consentaneus, qui alium respicit essentialiter
est Synonymum.

ẽnd.

Canon verificatur de omni materia. Fundamentum verò illius est,
necessarius nexus s. inseparabilis cohesio, quâ conceptus illi, ne men-
taliter quidem sine contradictione separari possunt.

II. Synonyma communicant omnia prædicata quidditativa.

ẽnd.

Ratio est, quia inter Synonyma deprehenditur communis essentiâ:
Unde unum non nisi essentialiter respicere potest alterum.

III. Synonymum prædicatur in quid.

ẽnd.

§. 1. Dist: inter Synonymum participans & participatum. Illud
& in

& in quid & in quale dicitur, sed diverso respectu: hoc a. semper in quid. Notat enim quidditatem ejus, à quo participatur.

§. 2. *Prædicari in quid*, est, non simpliciter termino substantivo prædicari; Quædam enim Synonyma ex se dicuntur adjectivè, veluti sunt *differentiæ*: & vice versâ; Paronyma sunt, quæ dicuntur substantivè: v. c. Deus est Creator. Sperlingius est Physicus: sed *in quid Prædicari dicitur*, cum attributum est *l. tota quidditas subjecti*, *l. pars quidditatis*, adeoq; *l. essential. aliquid intrinsecè pertinens*, ad essentiæ constitutionem.

IV. *Utut Synonyma Transcendentia & Eminentia verè imbibant (rationem prædicabilium s.) prædicabilitatem synonymicam non tamen sunt æstimanda secundum conditionem prædicabilium vulgariū.* enθ.

Prius patet, quia prædicabilitas nequaquam repugnat rebus & conceptibus transcendentibus & eminentibus, utpote tanquam intentio neq; augens, neque imminuens, transcendentiam aut Eminentiam, sed tantum exprimens dicibilitatem. Posterius inde constat quia prædicabilia transcendentia & eminentia sunt distinctissimi & superioris ordinis à prædicabilibus vulgaribus. Inde ab iisdem dependere nequeunt.

V. *Non omne Prædicabile Synonymicum est l. Genus l. Species vel Differentia.* enθ.

§. 1. *Genus enim Species & Differentia subjacent proximè Synonymo vulgari.* Jam verò præter *Synonymum vulgare*, dantur etiam *Synonyma Transcendentia atq; Eminentia*, quæ notiones *Generis, speciei atq; Differentiæ* propter ipsorum imperfectiones, respuunt.

§. 2. *Accipiuntur autem Genus, species & differentia in sensu pervulgato, prout, cancellis prædicamentorum directè includuntur, & sunt rerum naturalium atq; creatarum.*

VI. *Genus prius est suâ specie, omniaq; essentialia communicat speciei.* enθ.

§. 1. *Genus est Prius (α) ut est pars speciem constituens (β) quoad prioritatem nature, non quidem secundum rem, cum Genus à specie, non sit realiter distinctum, sed juxta modum concipiendi, quando unum videtur consequi ad alterum. (γ) quoad prioritatem*

ritatem cognitionis confusa: perfectius enim ac distinctius natura Ge-
neris cognoscitur in specie.

§. 2. Genus omnia sua, non notionalia & formalia: sed realia
& materialia communicat speciei, quia Genus & species realiter
identificantur, notionaliter autem ac formaliter solummodo di-
stingvuntur.

VII. Genus continet species & ab iisdem vicissim continetur.

ex d.
Continet species ratione latitudinis, in quantum consideratur ut
totum universale & potestativum, tum enim species continentur ut
partes subiecta in genere: continetur autem vicissim a speciebus, si
gradum essentialem s. materiale: & unitatem formalem species: Hoc
enim modo continetur genus totum in specie & præterea gradus
differentiæ, a quo limitatur.

VIII. Species tribuit suam naturam, omniaq; essentialia indivi-
duis.

ex d.
Ratio est, quia species & individua, non realiter, sed notionaliter tan-
tum differunt. Unde propter realem identitatem non possunt non,
eadem esse & essentia & essentialia speciei cum individuis.

IX. Plus est in specie, quàm in genere.

ex d.

Valet canon, non si species conferatur cum genere ratione latitu-
dinis & communitatis; Sic enim species est minus communis &
plus communitatis est in genere, quàm in specie: sed ratione perfe-
ctionis essentialis, quia continet gradum essentialem, quem continet
genus, & præter hunc, etiam gradum differentiæ, quo genus limita-
tur & constituitur.

X. N. species potest esse sine differentiâ.

ex d.

Differentia enim est pars proximè constituens speciem, sicut ex præ-
cedenti Canone liquet. Atqui totum sine constitutivâ parte persi-
stere nequit.

XI. O. Differentia & constitutiva & divisiva esse potest.

ex d.

Sc. diverso respectu. Nam respectu speciei est constitutiva: ratione
autem

B

autem generis *Divisiva*. Sic sensitivum est differentia constituens animalis: dividens autem corporis animati.

XII. Nulla Differentia debet esse negativa.

ix 9.

Dist. tamen inter *negativum* quæ vocem s. *matione soni*, & quæ rem s. *matione sensus*. Vox sæpe negativa est, quod nihil officit, modo connotatum *materiale* l. *significatum*, sit positivum. Positiva enim essentia non nisi positivis partibus constituitur. v. c. immaterialitas quoad sonum & vocem est negativa, sed quoad sensum & rem est positiva.

PUNC. III. DISPUTAT.

Q. Utrum species Monadica sint veri nominis species, an verò individuis annumerari debeant?

Resp. Species monadica dicuntur quæ quidem *actuali multiplicitate* non gaudeant, *aptitudinalis* tamen iisdem non repugnet. Sic v. c. Sol, Luna &c. dicuntur species monadica, quia, licet actu non multiplicentur in singularibus aut individuis, ipsis tamen pluralitatem inessendi aliis non repugnare. In quantum igitur species monadica, hoc modo accipiuntur, respondemus, *species monadicas non tam speciebus Logicis, quàm quidem individuis esse accensendas*, & quidem (1) quia ipsæ ab aliis numero distinctæ sunt & multis actu sunt incommunicabiles. Quicquid autem ita sese habet, illud est, *non species, sed individuum*; modus enim prædicandi sequitur modum essendi. (2) Quia species Monadica *sensibus* percipiuntur. *Quæ autem sensibus est obvium, illud est singulare* s. individuum. Cùm sensus sit singularium. (3) Quia species monadica *multis in prædicando communicari nequeunt*. Quod tamen requiritur ad speciem, quippe, quæ in individuis multiplicatur.

ARTICULUS II. DE PRÆDICABILI PARONYMICO I. EXTRA ESSENTIALI.

PUNCT. I. POSITIV.

PRÆC. I.

Prædicabile Paronymicum est, quod extræssentialiter de alio-
affir

affirmari potest. Est α (1.) aliud substantiale aliud accidentale. (2)
aliud intrinsecum aliud extrinsecum (3) aliud necessarium: a-
liud contingens (4) aliud Transcendens, aliud Eminens, aliud
Vulgare.

en. 9.

§. 1. ad Subj. Hic terminus absolute & sine adjecto, dicitur
Paronymum, à græca Præpos. ω δ ab & δ ν ω μ α Nōmine, q. d. No-
men ab alio, quia Paronymum derivatur non tam quoad vocem &
articulationem, quàm quidem, quoad rem & significationem ab a-
lio. Hinc etiam Paronyma involvunt pluralitatem, tum subjecti
denominati, tum formæ denominantis.

§. 2. Ad Prædic. Paronymum formaliter consistit in extrinsecen-
tiali unius de alio prædicabilitate affirmativa. Sicut enim Synony-
mum consistit in essentiali unius de alio affirmatione: ita Paronymum
absolvitur extrinsecuali, unius de alio affirmatione. Sic v. c. Doctri-
na respectu hominis est paronymum: Doctrina quippe non est de
essentia hominis, sed extra eandem subsistit.

§. 3. (α) Paronymum substantiale est, quod denominatur à sub-
stantia. Sic ligneum dicitur à substantiâ ligni. Sic vestis hololericæ
culter lapideus, poculum aureum. Paronymum accidentale est quod
nominis appellationem habet ab accidente (in rigore tali, s. per mo-
dum accidentis tributi concepto. Sic albus denominatur ab albe-
dine, tanquam accidenti. Temperantia respectu hominis. Unitas
veritas respectu Entis.

§. 4. (β) Paronymum intrinsecum est, cujus forma denominans
inexistit in denominato l. eidem per intrinsecam competentiam con-
venit. Sic ignis per calorem intrinsecè denominatur calidus. Ho-
mo Christus intrinsecè dicitur Omnipotens, vivificus.

Paronymum extrinsecum est, cujus forma denominans non inexistit
in ipsâ re denominatâ, sed in alio quopiam subjecto, denominato ta-
men extrinsecè tribuitur. Sic, visio respectu parietis. Licet enim
visio non inexistat in pariete, sed in vidente, interim tamen vi-
sio parieti quoad extrinsecam denominationem tribuitur.

§. 5. (γ) Paronymum necessarium est, quod respectum in-
variabilem obtinet ad suum denominatum. Sic propria quarti
modi, sunt paronyma necessaria, cum habeant indissolubilem
cohesionem cum subjecto v. c. potentia nutriendi respectu ani-

ma vegetativæ. albedo respectu lactis. Bonitas respectu Entis. Justitia respectu DEI. Paronymum contingens est quod dicitur variabilem respectum ad suum denominatum. Sic omne accidens separabile est paronymum contingens. v. c. pingvedo respectu corporis est paronymum contingens, cum involvat variabilem respectum ad suum denominatum.

§. 6. (d) Paronymum transcendens est, quod in iis, quæ universalissima sunt, adeoque Deo & creaturæ communia, qualitativum habet respectum. Ejusmodi Paronymum est (1) quælibet affectio Entis, tam unita, quam disjuncta in ordine ad ipsum Ens, ut: omnis affectio Gnostologica, & Noologica, & Pneumatica. v. c. Perfectio, Unitas, Principium & quod est à principio, paronymicè dicuntur de Ente. (2) modi contrabentes, tum Ontologici, tum Gnostologici, tum Noologici, tum Pneumatici. Sunt enim quasi differentia divisivæ Genus paronymicè concernentes. v. c. Ens est subsistens; Ens est inhaerens. Intelligibile est supernaturale, est naturale.

Paronymum eminens est quod in rebus atque conceptibus supernaturalibus locum habet. Atque hæc paronymia occurrit in rebus mysticis, cujusmodi alia est Theologica (in specie dicta, prout in articulo de Deo habetur,) ut: Deus est justus. Deus est omnipotens &c: licet enim attributa Dei, ex parte DEI, sint ipsa DEI essentia, tamen ex parte nostri concipiuntur ut conceptus extræssentiales: alia Christologica. ut: Deus est homo. Et homo Christus est Deus. Christus est omnipræsens. alia Mysteriologica: ut: Panis Eucharisticus est corpus Christi. Vinum benedictum est sanguis Christi.

Paronymum vulgare est quod in rebus & conceptibus creatis naturalibus obtinet. Sicut enim conceptus universalissimi, propter suam latitudinem, conceptus eminentes propter suam nobilitatem imbibentes Paronymiam, absolvebant peculiarem & distinctum Paronymorum ordinem; ita res creatæ, ut & conceptus rerum creatarum habitudine non-essentiali affecti, gignunt diversa paronyma.

PRÆC. II.

Paronymum vulgare est l. Proprium l. Accidens.

ex d.

Habitudo enim illa prædicandi extræssentialis per quam paronymum-

nyum constituitur, dicit *l. necessarium l. contingentem* respectum.
Ille, in proprio; hic autem in accidente occurrit.

PRÆC. III.

Proprium est paronymum vulgare, quod de pluribus *l. specie,*
l. numero differentiibus in quale accidentale necessarium prædi-
ri potest. *en. d.*

§. 1. ad Subj: Vox Proprii hoc loco non sumitur, in sensu reali,
prout notat *l. generaliter*, quod vis non commune s. sit *essentiale*, s.
accidentale; & sic *differentia essentialis*, ut & *definitio* materialiter
accepta, vocantur propria; *l. specialiter*, in quantum designat non-
commune *accidentale*, contradistinctum proprio *essentiale*. Atq;
ita proprium est triplex (1) quod soli *subjecto*, sed non *omni* competit:
ut esse Medicum, soli homini convenit, sed non *omni*. (2) quod *o-*
mnino competit, sed non *soli*. Sic bipedem esse competit *omni* homini,
non autem *soli*, quia etiam aves sunt bipedes. (3) quod *omni & soli*
convenit, sed non *semper*: sic actu loqui, competit *omni & soli* homi-
ni, sed non *semper*, verum solummodo tunc, quando potentiam
locutivam homo exercet. Sed accipitur in sensu *notionali*: neque
tamen sic *l. Grammaticè*, ubi Nomen Substantivum est aut *Appella-*
tivum, aut *Proprium l. Rhetoricè*, cum dictio, non in *tropicà*, sed in
nativa suâ significatione sumitur. Sed *Logicè*, pro prædicabili *Paro-*
nymico Vulgari, quod contradistinguitur *Accidenti*.

§. 2. (a) Conceptus Genericus est Paronymum vulgare. Per *Paro-*
nymum finitur *Proprium*, quia ipsum dicit, non *aliquam essentiali-*
terem, sed *extraessentialitatem*. Intelligitur autem hinc *parony-*
num, non *in essendo*, sed *in predicando*, quia respectus rerum jam
consideramus, non *sub modo essendi*, sed *sub modo predicandi*. *Vul-*
gare dicitur, quia proprium nunc spectatur, prout dependet à re-
bus creatis (b) Conceptus *differentialis* absolvitur 4. requisitis pro-
prii. Nam ad proprium requiritur

(1) ut predicetur de pluribus differentiibus *specie l. numero*. De pluribus
quidem differentiibus *specie*, si sit proprium genericum differentiam
generis consequens. Tale proprium est *nutribile*, cum dicitur de
planta & animali: sic *mobile*, respectu *animati & inanimati*. De
pluribus autem differentiibus numero, si sit proprium *specificum* diffe-

rentiam ultimam specificam consequens. ut: risibile quando dicitur de Georgio & Maria.

(2) ut prædicetur in QVALE, h. e. termino connotativo. Et per hoc requisitum distinguitur proprium à Genere & Specie, quæ absolute prædicantur in QUID. Cæterum, quia proprium in Qvale prædicari debet, hinc constat, illud, quatenus est prædicabile à cæteris distinctum, non debere conferri ad propria sua inferiora v. g. ad hanc vel illam risibilitatem, utpote de quibus absolute prædicatur in QUID: sed ad inferiorem Generis vel Speciei, ad cuius essentiam sequitur, v. g. risibile ad Petrum & Paulum, utpote de quibus, non nisi in Qvale, termino connotativo dici potest. (3) ut prædicetur in Qvale accidentale, h. e. non tanquam essentia, aut aliquid essentia, sed tanquam accidens aliquod extra essentiam rei constitutum; quo separatur à differentia, quæ prædicatur in QVALE ESSENTIALE.

(4) Ut prædicetur in Qvale accidentale NECESSARIO, hoc est, tanquam proprietas essentiam & differentiam specificam consequens. Et per hoc discernitur proprium, ab accidente, quod autem planè accidentaliter & contingenter prædicatur, aut si aliquo modo dicitur necessario, non tamen ut proprietas differentiam insequens & è forma per emanationem resultans, sed ut consequens dispositionem materiae, aut rationem causæ communis.

PRÆC. IV.

propriorum (1) aliud est Genericum, aliud specificum. (2) aliud est intrinsecum, aliud extrinsecum. (3) aliud est simplex & unitum, aliud est complexum s. conjunctum.

EX. 9.

§. 1. Proprium Genericum est, quod essentiam & differentiam genericam consequitur, & prædicatur de pluribus specie differentibus. v. c. facultas alitrix de planta & animali.

Proprium specificum est, quod specificam essentiam atq; differentiam insequitur & prædicatur de pluribus differentibus numero. ut: potentia loquendi de petro & Maria.

§. 2. Proprium intrinsecum est, quod inheret subjecto, ut: Risibilitas.

Extrinsecum est, quod extrinsece Subjecto adest. ut: Tempus & Locus respectu corporis naturalis.

proprium

S. 3. *Proprium simplex s. unicum est quod seorsim & solitarie cum suo subiecto reciprocatur v. c. risibilitas cum homine. O. risibile est homo, & O. homo est risibilis.*

Complexum s. Disiunctum est, quod conjunctim subiecto convenit & disiunctim distribuitur ad inferiora (quod sub disjunctione reciprocatur cum suis subiectis) Ut: Motus & Quies cum corpore. Corpus, aut quiescit, aut movetur.

PRÆC. V.

Accidens est Paronymum vulgare, quod de pluribus differentiis specie l. numero in quale accidentale contingens predicari potest.

end.

S. 1. *Ad Subj: Vox accidentis jam non accipitur realiter l. Ontologicè, pro contingente, in modo essendi generalissimo. l. physicè, pro casuali & fortuito. l. Politicè, in quantum ad accidens opponitur certo, stato & ordinario: sicut vulgò dicuntur accidentia, quæ præter salarium l. stipendium accedunt, & adesse l. abesse possunt à salario: Sed instrumentaliter & Logicè. Neq; tamen in hoc sensu, l. latissimè, pro omni eo quod alicui convenit ut extræssentielle s. substantia, s. accidens, s. Ens rationis fuerit. l. Prædicamentaliter, prout opponitur substantiæ eandemq; denominat aut per modum essendi IN. aut AD aut AB. aut CIRCA, & accidens Prædicamentale dicitur: sed predicabiliter, pro accidente predicabili, in quantum contradistinguitur Prædicabili Proprio, & vocatur accidens predicabile.*

S. 2. *Ad Prædicat: l. Conceptus communis ex Præc: 3. liquet. 2. Conceptus proprius absolvitur tribus accidentis requisitis. Requiritur enim ad naturam accidentis prædicabilis (α.) ut predicabile sit in Quale (denominativum s. Paronymicum.) Et per hoc excluduntur Genus & Species. Hæc enim dicibilia sunt, non in QVALE, sed in QUID (β) Ut predicabile sit in QVALE ACCIDENTALE. Et ita accidens opponitur Differentiæ. Differentia enim predicatur non in QVALE ACCIDENTALE, sed ESSENTIALE. (γ) Ut predicabile sit in QVALE ACCIDENTALE CONTINGENS. Atq; sic excluditur Proprium. Hoc enim non contingenter,*

ter, sed necessario, prædicari solet. Intelligitur autem hic contingentia, non respectu cause, cum accidens commune necessitatem causarum extrinsecarum habere possit: sed contingentia respectu subjecti. Hæc enim necessario ad accidens, utpote quod non fluit ex essentiâ subjecti veluti proprium, requiritur.

PRÆC. VI.

Accidentium (1) aliud est Separabile, aliud Inseparabile. (2) aliud est Substantiale, aliud Accidentale.

§. 1. *Accidens separabile est, quod à subjecto, cui convenit, separari potest. Sic albedo est accidens separabile à pariete.*

Accidens Inseparabile est quod à subjecto, cui convenit, separari non potest. Sic nigredo est accidens inseparabile à corvo. Intelligitur autem hic non separatio supernaturalis, aut mentalis, aut accidens ponendum, sed naturalis, realis & accidens iam positum.

§. 2. *Accidens substantiale est substantia & potest prædicari contingenter de substantia. v. c. aurum respectu poculi est ejusmodi accidens substantiale, aurum enim est substantia & contingenter dici potest de poculo, quando dicitur poculum est aureum. Accidens accidentale est accidens, & prædicari potest contingenter de accidente. v. c. cum de habitu prædicatur quod sit firmiter aut minus firmiter radicans.*

PUNCT. II. DIRECTIVUM.

CANON:

I. Omnis conceptus, qui alium non essentialiter respicit est Paronymum.

Sc: omnis conceptus qui alium extræessentialiter contuetur s. ipse ex parte rei, s. ex parte intellectus nostri, ab eodem distingvatur, est Paronymicus. Nam ratio paronymorum in eo consistit, ut notificentur conceptus inter quos respectus non essentialis, sed extræessentialis, in unionem non essentiali fundatus, intercedit.

II. Paronyma prædicantur in Qvale.

Distingvimus autem inter Qualitatem Essentialem, s. Synonymicam,

qvâ

Quæ quædam Synonyma, quæ terminò connotativo significantur, prædicari solent, veluti sunt differentia respectu specierum & individuorum, ut & illi conceptus, qui in analogiâ respondent differentijs: & inter Qualitatem accidentalem s. Paronymicam, secundum quam Paronyma, cum ad morem Qualitatis extrinsecè respiciant, afficiant & denominent suam subjectam, prædicantur. Non illa, sed hæc nunc intelligitur Qualitas. Nam Paronyma semper designant formam extræssentialem subjecto. Unde sicut Synonyma dicuntur in Quid: ita Paronyma prædicantur in Quale.

III. Paronyma principaliter important formam denominantem.

exθ.

Sci quoad rem significatam. Nam quoad modum significandi principaliter subjectum importatur. v. c. doctus, si rem spectes, primò dicit doctrinam, hominem verò præditum doctrinâ tantum secundò s. connotativè.

IV. Paronyma reducuntur ad classem denominantium

exθ.

Ratio est, quia paronyma derivantur à formâ denominante. Derivatum autem reducitur ad primitivum, tanquam ad fontem suum. D. autem inter pertinentiam directam & reductivam. Paronyma, cum sint complexa, & non unam, sed multiplicem ac diversam significent essentiam, ad unam Entium classem spectare nequeunt. Inde sequuntur principale suum, & ad illam classem, ubi principale illorum est, reducuntur.

V. Paronyma Transcendentia atq; Eminentia, non sunt estimanda secundum conditionem paronymorum vulgarium.

exθ.

Mensura enim requiritur ad æqvata mensurato. Jam v. paronyma vulgaria, sunt inferiora transcendentibus atq; eminentibus. Superiora autem non sunt regulanda secundum inferiora. Deinde paronyma vulgaria sunt determinata quidditatis & multijugæ imperfectionis.

VI. proprium non est universale in ordine ad speciem cui immediate convenit, sed ad inferiora s. individua ejus.

C

Nam

ẽndẽ.

Nam respectu *speciei est vera proprietas*, & prædicatum proprium ipsi soli, omni, ac semper conveniens: non tamen est *universale*, quia non comparatur ad plura, sed ad unum reciprocè. Respectu *autem individuorum* dicitur ut *universale in prædicando*, non tamen ut *proprium*, sed ut *commune*; nec enim uni soli, individuo competit, sed omnibus sub specie contentis. Sic risibilitas respectu hominis est vera proprietas: sed non universale, cum saltem de unâ specie dicatur: respectu *autem individuorum*: v. c. Georgii, Mariæ, est universale s. commune.

VII. propria non intenduntur aut remittuntur, non suscipiunt magis & minus.

ẽnd.

Propria enim immediatè dependent ab essentia. Sicut igitur illa, gradus intensionis & remissionis non admittit, ita neq; hæc.

VIII. Nullum accidens est essentia, aut pars essentia, aut aliquid ab essentia fluens.

ẽnd.

Sc: accidens *prædicabile formaliter* in quantum subjecto contradistinguitur: non *materialiter spectatum*. Accidens enim *materialiter sumtum* potest identicè esse ipsum subjectum.

IX. Accidens prædicamentale s. in essendo: & prædicabile s. accidens in prædicando, differunt variè.

ẽnd.

(1) *Accidens Prædicabile* potest esse substantia, ut: annulus aureus, neq; semper substantiæ opponitur, cum etiam id, quod non est substantia habeat, quæ de ipso prædicentur *essentialiter* l. *accidentaliter & restrictius*, ut accidentia communia à propriis distincta. Sic quantitas, non est substantia & tamen prædicantur de eadem, quædam *essentialiter*, quædam *accidentaliter*. *Accidens autem prædicamentale* nunquam potest esse substantia, sed semper substantiæ opponitur. (2) *Accidens prædicabile* opponitur proprio: *Accidens autem prædicamentale* includit propria. Sic Risibilitas est sub accidente Qualitatis. (3) *Accidens prædicabile* nunquam potest fieri Genus aut Species, sed iisdem contradistinguitur: *Prædicamentale autem*

ẽnd.

autem potest esse Genus & Species: imò quia Genus aut Species
est, in prædicamentis continetur. ut: Albedo. Calor.

PUNCT: III. PROBLEM.

Q. *Utrum acciens tantum in concreto, num verò etiam in
abstracto prædicari possit?*

Resp. *Et in abstracto & in concreto accidens potest prædicari. In con-
creto, accidens dici potest, sed ratione subjecti, cum ipsum subsistat
extra subjecti essentiam, de quo dicitur. In abstracto autem acci-
dens dicitur, ratione inferiorum, de quibus essentialiter prædica-
tur. v. c. Habitus respectu hominis tanquam sui subjecti, dicitur in
concreto, homo habet habitum: respectu autem aliorum habi-
tuum tanquam inferiorum suorum, dicitur in abstracto, adeò, ut di-
cere liceat, habitus connatus est habitus: habitus acquisitus
est habitus.*

O Primus egregiam Genitor RÖMERE reportat
Laudem, testatur LEUCORIS alma fatis.
Illius ergò premas, moneo, vestigia clara:
sic dignus fueris laude! Faveto DEUS.

f.
Abraham Calovius, D.

Hic frugi studiosus erit, qui nocte dieq;
Musarum studiis invigilare cupit.
Mentis opes ut ritè queat monstrare paratas,
Omnibus his studiis usq; placere potest.
Det Deus, ut cursum Studiorum semper amare,
Tu ROEMERE, queas, quæ pia vota PATRIS!
Det Deus, ut crescas pietatis amore IEHOVÆ,
Proficias studiis sedulitate bonis!
Sic pius implebis VENERANDI vota PARENTIS,
Atq; tuæ vitæ commoda plena dabis.

*Perge bonis captis, benedicet gratia Cœli,
Gaudia sic poteris multiplicare PATRIS.*

Johannes Deutschmann/ D.

Ad

Eximium DN. RESPONDENTEM,

ex Logicis

De

PRÆDICABILI disputaturum publicè:

Industrio labore parta gloria,
Virtute fulta, *Prædicabile* optimum est,
Hoc discè, Disputator Ornatissime,
ROEMERE mi, Parentis, Enthci Viri
Spes prima; surge, redde ei te comparem!
Hunc prædico vehoq; plausibus modum,

Georgius Caspar Kirchmajer,

Eloqv. P.P.

Colleg. Philosoph. h. t. Decanus.

Res tradis doctas Lingvâ, *Roemere*, disertâ:
Et sic ingenii Munera clara probas.

Gratulor his Cœptis, DOMINUS benedicat iisdem!
Ut parias tandem gaudia magna Tuis.

Gratulab scribeb.

M. Zacharias VVagnerus,

Pastor ad D. Laurent: ad Albim.

Magnis nascuntur magni, de sanguine claro
Exoritur clarus, si pia cura juvat.

Es certè magni soboles, *Roemere*, Parentis,
Hinc magnum ingenium mens animusq; Tibi.

Gau⁷

Gaudia concilies magno, rogo, magna Parenti,
Quin precor, ipse pares commoda magna Tibi!
Fata secunda, rogo, conatibus addat löva!
Ut vivas felix tempus in omne Tuis!

*DEO & piis magni Ræmeri, Filio primogenito
Contubernali suo honoratis: publice dispu-
tanti hac gratulab: dabat*

PRÆSES.

Nostrum sæpè animum subiit miratio, Nymphæ
Cujusnam pectus flagret amore Tuum
Te, quoniam constat, (scit enim vix abdere quisquam
Ignem,) angî curâ nocte dieq; gravi.
Scilicet egregiæ SOPHIAE pulcherima forma
Cor fixit celeri cuspide molle Tuum,
Hinc rectè scripto voluisti prodere mentem,
Subdola cum fugiat pectora verus amor,
Cepto insiste Tuo; Tibi se propriam Ipsa dicabit,
Et necet capiri ferta venusta Tuo.
Fallimur, an Musas procul haud afferre futurum
Cernimus ad thalamum lilia mista rosis?
Ut nobis decorata brevi sponsalia versu,
Sic volumus tædas condecorare Tuas.

DEUTSCHMANNIANI COMMEN-
SALES.

Wann anders einge macht der Wörter ist zuschliessen
So an dem Nahmen gleich und eines Ursprungs
sind

So wird mann billich auch von Ihm is sagen müssen
Das man bey Römern viel der Römer Tugend find /

E iij

Das

Das dies was sonsten fließt aus Römischen Thun und Wesen
Ihm habe Römer auch mit höchsten Rechte genandt.
Dies weist die kluge That und ist auch hier zulesen
Drumb bleibt der Wortte macht bey Ihm nicht unbeland.

J. G. v. Nostritz /
Eqv. Lusat:

ANnos expectet multos fex infima plebis
Atq; suas dotes non nisi sera probet:
At citò se produnt coelestis semina mentis,
et temnunt segnis toedia longa moræ.
Non opus hic longè documenta accersere nobis
exemplo præstò es, Svavis amice, tuo.
Nam primis annis Doctoris pulpita scandis,
Ac aperis, quantæ sint Tibi mentis opes:
Sicq; simul clarus sis ausis fortibus, atq;
Testaris, quanto sis Genitore fatus.
Sicut equis patrum virtus tenerisq; juvenis,
Ceui canit arguto carmine Flaccus, inest:
Sic Nati referunt animos ac facta Parentum.
Gratulor hinc Patri, gratulor atq; Tibi.

^{f.}
Gottfridus Heino.

LAudibus es dignus dum Pulpita laude *Sophorum*
Non erubescis scandere:
Abditas perge, tuæ mentis depromere, magna
Qui Spes Parentis & Decus!
Sic dulcis Patrie lumen, columenq; Tuorum
Evadis optatissimum

*Hec autogædiaz. Doctis: Dno. Respond. Fautori
suo honoratissimo gratulabundus apponere
voluit, debuit*

Erdmann Friedrich Berger.

ten

nd.

3/

o.



Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515







C. C.
LEGGII
PTICI
ICA
: VI.
ens
SYNONYMICUM
QVE
YMICUM
yam
SIDE
VVAGNERO,
Phil: Adj:
NDENS
OPH: ROEMERUS,
l: atq; Theol: Studios:
antium collationi
Christi M.DC.LXXII.
Horis consuetis
icit.
BERGÆ
CKARDI, Acad. Typogr.